



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Quid ea sit, & in quanto donatione est adhibenda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

adherens, invalida, per omnes communiter Doctores sunt, quia sunt de re peccaminosa, saltem venialiter, deque re contra bonos mores.

Verum, si iuram, non revocare ejusmodi donationem jam factam, putaverunt modò Delugo, alique, valere juramentum, nec posse amplius saltem ex virtute Religionis revocari, quia (iniquum) est de re, quæ sine peccato servari potest, cum leges prohibeant quidem donationem omnium bonorum, sed non præcipiant, ut illa revocetur, vel non revocetur: sed solùm permittunt, ut possit donans revocare, si velit, quam promissionem à se per juramentum abjicere, nec peccatum est, nec contra leges, &c.

5. Verum, signatè dixi (putaverunt Delugo, alique) me enim sic philosophari juvat: Sicuti non valet juramentum de re mala, ita nec valere debet juramentum, per quod persistatur in eadem re mala; ergo, si donatio omnium bonorum, ideo non valet, quia est de re prodiga, atque adeo de re peccaminosa, eodem modo valere non debet juramentum de persistendo, seu de non revocanda ejusmodi donatione, quia est velle persistere in re prodiga, seu continuare culpam prodigalitatis: sicuti, si re injustè egerem in exilium, & deinde jurarem, me nolle re, cum possim, ab exilio revocare: & sicuti, si donarem legitimam mei filii extraneo, & postea jurarem, illam à dicto extraneo me revocare nolle, cum possim.

6. Est igitur res accuratè perpendenda, & sic universum (pro similibus juramentis, de non revocando) distinguendum: Quoties non revocare, malum non est, toties juramentum de non revocando valet, & est observandum: Quoties verò non revocare, malum est, toties, sicuti non valet, nec est observandum juramentum de eo malo patrando, sic non valet, nec est observandum juramentum de non revocando, quia utrobique non debet juramentum esse vinculum iniquitatis.

7. Ex hac autem certa regula fit, ut in casu, de quo loquimur, juramentum non valeat, quia persistere cum illa prodigalitate omnium bonorum, & item nolle eam revocare, cum possis, nequè malum est. At in exemplis modò allatis de non revocando Testamento, & de non revocanda donatione illius equi, valet juramentum, observandumque erit, quia persistere in Testamento legitime factò, & in donatione equi, nec malum ex se est, nec prohibitum, & eodem modo, etiam res se habet in pluribus exemplis à me adductis, *Lib. 3. in Decal. c. 3. §. 5. num. 39.*

8. Non satisfaciunt ergo nonnulli Iurisperiti, apud Marium Cutelli, *r. 1. de donat. disc. 2. particul. 8.* loquentem de *Juram. appositio donationi Patris ad filium*, dum sive absolute concedunt, sive absolute negant, juramentum de hisce similibus valere: Non satisfaciunt (inquam) nam ad pronuntiandam dictam validitatem, vel invaliditatem, semper expendi debet, utrum juramentum cadat in rem aliquo tandem modo, sive in se, sive in ejus perseverantia, malam, an non: Si posterius, est validum, observandumque; si prius, nec validum, nec observandum.

CAPVT V.

De Solemnitate Donationis, id est, de ejus Insinuatione.

§. 1. Quid sit Insinuatio, & in cujus quantitatis Donatione adhibenda?

1. Propria donationis solemnitas à Iure requisita insinuatio, ut scilicet donatio debeat judici insinuari, hoc est, manifestari. Ad quod certè satis est, si vel ipse donator, vel ejus procurator, vel ipse donatarius, ex donatoris mandato, compareat coram Iudice, qui Iudex non necessariò sedens pro Tribunali (cum hinc non sit actus ju-

risdictionis contentiosa, sed voluntaria) juxta modum Natrio, ut eam manifestationem rediget in actus ad rem.

2. Hanc solemnitatem, sine qua donatio est irrita, leges invexere, ut à Iudice, tanquam à persona auctoritate Reipublicæ bono, prodigis donationibus modulationem adhiberet. Vnde rectè Onate *r. 2. de contr. tr. 10. d. 30. num. 103.* advertit, non posse Iudicem donationem approbationem ejusmodi donationis, quando nulla apparet causa negandi, posse autem, cum apparet, quia hoc instituta est Lex insinuationis, ut prudenter, & sine damno, vel boni communis, vel Terrii, vel etiam ipsius donantis donatio fiat.

Quantitas Donationis insinuationis.

3. Hæc sunt clara. Illud explicatione indiget. Non jura non requirunt hanc solemnitatem pro quacunque modicæ rei donatione, sed pro ea, quæ nunc post Imperatorem Constantinum, *L. Sacrimus, §. ult. & penult. L. 5. quæ pro Redemp. §. penult. C. de donat. transcedat valorum quingentorum solidorum.*

4. Difficultas autem tota versatur in expianda mensura quæ in nostræ ætatis moneta hinc sumitur quingentorum solidorum correspondeat, Varii variæ, *Azo. apud Bonac. d. 3. de contract. quest. 13. part. 6. n. 3.* autem hinc sumitur quingentorum aureorum, & sequitur Regalibus, seu Julii Italianis (Julium autem continet talentum Siculum cum granis item Siculis cunctis quinquaginta libris monui.)

5. Alii apud eundem Bonac, *loc. cit. auctor. solidum æquivalere qui sem nummo aureo, sed nummum aureum volunt continere quatuordecim, aut quindecim Regales, seu Julios, quales sunt Onghari, seu Zichim Veneri.* Unde infert Bonac. ex Molina, & aliis, cum debeat hinc computatio fieri secundum tempus, quo valuerunt Julii, quando conficta fuit hæc lex, infert, inquam, validam esse donationem sine insinuatione, si sit valoris septingentorum aureorum.

6. Non longè abest Delugo *d. 23. de Inst. num. 129.* dicens valorem correspondentem quingentis solidis esse nostræ pecuniæ, septingenta, & tredecim scuta quæ vocantur de moneta:

7. Onate *r. 2. de cont. tract. 10. cap. 30. num. 121. et.* legem Castellæ quingentos solidos vocasse, & eodè modo esse quingentos *Maravedis de ore*, vel quingentos scutulos aureos singulos valoris quatuordecim Regalium.

Sed quia pro temporibus diversis (addit idem Onate) immò & eodem tempore, in diversis locis varius est valor monetarum, unde, variè ipsorum quantitates ponder prædictis solidis, ideo non esse mirum quod Julius Clarus asserat, quingentos solidos antiquos correspondere summam septingentorum scutorum hujus temporis, Bellarius verò dicat, efficere plusquam mille aureos, Alii autem septingentos, & quinquaginta scutos, Angelus sexcentos, Alciatus octoginta. Denique idem Onate testatur se observasse in Peruana Provincia, ubi magna vis auri viget, solidos 500. valere duobus millibus scutis.

8. Quid igitur in tanta varietate statuendum videtur? Statue juxta prudentem ejusdem Onates monitionem, nimirum, meliorem computationem, hæc in re, esse non posse, nisi eam, quam in unaquaque Provincia tenet, & observat praxis Tribunalium, quia praxis, & hylas Claræ est optimus hujus legis interpret, eique congruat cum quingentis solidis antiquis sive non ita. Statue item juxta similem monitionem Bonac qui *d. 3. de contract. c. 13. p. ult. num. 6.* inquit: *Consultanda sunt hæc in re statuta cujusque loci, & à Consultis potius, quam à Theologo perenda est consultatio.*

9. Sanè Panormi quæcunque donatio rei irrevocabili cujuscumque quantitatis insinuari consuevit, tum quia Capitulum lites de ejusmodi quantitate, tum quia Capitulum 61. Ferdinandi, & Constitutio Comitatus Caltri §. 2. d. 1. quibus

quibus mox infra, §. 2. num. 6. mentionem faciam, præcipit absoluit, & sine limitatione donationes insinuari debere, (& quidem tum in loco, ubi ea fit, tum in loco, ubi sunt bona donata) Cum enim dicta statuta non taxent quantitatem, recte usus subsecutus explicuit quancunque.

An Donatio non insinuata sit invalida?

10. Inquires primò: Si quis donet sine insinuatione rem valentem, verbi gratiâ, mille solidos, esse invalida tota donatio quoad mille, an solum quoad id, quod excedit illos quingentos solidos, id est, quoad 500.

Respondeo. Solum quoad excessum. Quare in casu dicto valebit quoad quingentos, non verò quoad alios quingentos. Ratio hujus rei nulla alia est, nisi quia expresse definitur in Jure, l. *Sancimus. C. de Donat.* aliisque Jurib. adductis à Diana p. 8. tr. 6. res. 46.

An donatio non insinuata, sed juramento firmata sit valida, & revocari non possit, colligi potest ex supra. dictis in simili, cap. 4. §. 4. Vide etiam Dianam loc. cit. res. 51.

Donata sine Insinuatione.

11. Inquires secundò: Excessum supra quingentos solidos modo explicari mihi sine insinuatione donatum, possimne retinere in foro conscientie?

Respondeo, posse cum Delugo 1. 2. de Inst. disp. 23. num. 156. Vide etiam Dianam cit. res. 53. donec à donatore repetatur modo, quo dixi nuper de donatione omnium bonorum. Ipse autem semper poterit repetere, si voluerit, etiam si sciat, nullam in donatione irreperisse fraudem, vel vim, quia hanc facultatem illi Leges concedunt. Posse donatorem cedere huic juri, ut scilicet valeat sua donatio sine insinuatione saltem in foro conscientie, significant nonnulli Doctores apud Dianam par. 8. tr. 6. res. 52.

§. II. Quanam Donationes, quævis excedentes 500. solidos non indigent Insinuatione?

1. Primò, Donatio facta causa piæ (inter alias esse numerandam causam redimendi captivos, dubium tibi ne sit) ita communiter Doctores apud Dianam p. 8. tr. 6. res. 49.

2. Secundò, facta Principi summo, vel facta à Duce Militibus de rebus mobilibus.

3. Tertiò, Donatio facta in remunerationem.

4. Quartò, facta ob causam. Et quidem donationem Patris, atque ex meliore sententia, etiam Matris, factam Filio contemplatione Matrimonii ejusdem filii, esse ob causam, diximus l. 5. in Dec. c. 4. §. 2. & docet Menoch. consil. 261. Quare hinc consequenter dicendum insinuatione non indigere ex vi Juris communis.

5. At nota, donationem extranei factam alicui, etiam contemplatione Matrimonii non esse ex causâ, sed protinus liberalem, quia est voluntaria, & non procedens ex radice necessitatis, cum extraneus non obligetur curare Matrimonium alterius. Lege de hoc latè Marius Cuccelli, 1. de Donat. disp. 2. par. 6. à n. 7. atque adeo certum est, semper hanc extranei donationem esse modo supradicto insinuandam.

6. Dixi (ex vi juris communis) nam in jure nostri Regni Siciliæ communiter nostri Doctores docent, donationem Patris, vel Matris filiis factam, etiam ob Matrimonii causam, debere insinuari, id enim præcepit Capitulum 61. Regis Ferdinandi, & novissimè constitutio Comitris Castri Proreg. anno 1618. §. 2. Sed refragatur nihilominus item Cuccelli 1. 2. de Donat. disp. 1. speciali 4. contendens, dictum nostrum Jus municipale aliud intendere, non autem necessitatem Insinuationis. Illum adi, ubi est ortum; monitus tamen à me, ut Insinuationem

prædictam ne negligas, tum, si lites, quantum abrumperes potes, abrumpas, tum, quia praxis nostri Regni dictum Capitulum Ferdinandi, dictamque Castri Constitutionem, ad litteram, observat, ut supra, §. 1. num. 9. dictum est.

7. Quintò, donatio causa mortis.

8. Sextò, donatio, quâ uxor sua bona donat viro in dorem.

Id quod Diana p. 8. tr. 6. res. 47. extendit etiam ad sponsaliciam largitatem, sed hæc jure communi, nam in nostro municipali jure idem dic, quod dictum est modò num. 6.

9. Septimò, Donatio bonorum, quæ Religiosus secum affert ad Monasterium, dum professionem emittit.

10. Hæ septem donationum Classes validæ sunt sine insinuatione, ut habent jura Civilia, & docent communiter Doctores, quorum multi citantur à Diana loc. cit. Ratio autem primæ est, quia Legislator Civilis non potest leges condere in detrimentum operum bonorum.

11. Ratio secundæ est, quia donatio facta Principi, vel à prædicto Duce excipitur ab insinuatione in dicta l. *Sancimus*.

12. Ratio tertiæ est, quia remuneratoria, in rigore non est pura donatio, ut supra indicavimus cap. 2. §. 2. num. 2. Unde donationes reciproca, seu colligata inter fratres, de quibus dixi c. 4. §. 2. num. 7. Si fiant in recompensationem, ut ibi explicavimus, non indigent insinuatione, indigent verò, si fiant absolute, & independentes, quia illæ non sunt puræ donationes, hæc autem sunt.

13. Huc etiam reduco donationem, quâ Filius moderatum aliquid donat Patri, ob emancipationem, ejusmodi enim donatio remuneratoria est: Filius enim accipit à Patre Beneficium solutionis à Patris potestate, Pater autem accipit Beneficium, non amplius alendi filium. Sed cur hæc Beneficia invicem non compensentur, & consequenter quod datur, quamvis propter ipsam emancipationem, cur non dicatur pura donatio indigens insinuatione? Sanè ita cum Pinello tenere videtur Molina citatus, sed non exceptus à Delugo, disp. 23. de Inst. num. 162.

14. Ratio quartæ est, quia non est pura donatio ea, quæ fit ex causâ, nam donatio, v.g. quam alicui facis, ob obsequium, seu laborem pro te impensum, vocari non poterit liberalis, seu pura.

15. Huc reduco donationem factam ad reparandam domum, quæ ruinâ cecidit, vel ex igne destructa est, dummodò donata ad illum solum usum expendantur. Ratio est, quia reparatio domus causâ legitima est, cum ad bonum publicum faciat, reparari domus, & ita decernitur in jure, l. *penult. C. de donat.*

Ratio quintæ est, quia donatio causa mortis, ut supra vidimus, potius est ultimæ voluntatis dispositio, quam donatio. Esto, aliqui cum Julio Clar. 9. 17. dicant, donationem causa mortis indigere insinuatione, quod certè etiam probabile est.

16. Ratio sextæ, & septimæ est, quia illæ non sunt donationes, nam sunt quid consequens ad personam, &c.

Sed quid primò, de remissione debiti?

Respondeo, distinguendo: Nam remissio debiti juris acquisiti, si excedit prædictam summam, sub pœna nullitatis est insinuanda. At verò remissio juris acquirendi non est necessitudo insinuanda. Ratio est, quia illa æquivalere donationi, non autem, hæc, quæ solum est non acquisitio. Nam propterea Confessio, quæ, dote non soluta, fateatur Maritus, solutam esse, indiget insinuatione, quia est remissio juris acquisiti.

17. Quid secundò, de donatione pluribus facta?

Respondeo, si donatio pluribus facta simul, eodemque tempore fiat, invalida est quoad excessum, si non insinuetur